

» duobus de capitulo, debitis temporibus populo publicandas esse  
» decernit » (1).

II. Sess. XXIV, cap. XII de reform. statuit : « Cetera, quæ ad  
» debitum in divinis officiis regimen spectant, deque congrua in  
» his canendi seu modulandi ratione, de certa lege in choro con-  
» veniendi et permanendi, simulque de omnibus ecclesiæ ministris  
» quæ necessaria erunt, et si qua hujusmodi; synodus provin-  
» cialis, pro cujusque provinciæ utilitate et moribus, certam  
» cuique formulam præscribet. Interea vero episcopus non minus,  
» quam cum duobus canonicis, quorum unus ab episcopo, alter a  
» capitulo eligatur, in iis, quæ expedire videbuntur, poterit pro-  
» videre. » Quid quoad hoc in provincia Mechliniensi præscriptum  
fuerit, vid. in primo Concilio provinciali 1570, tit. IV, et in tertio  
Concilio 1607, tit. XII.

III. « Statuit sancta synodus, ut in omnibus ecclesiis cathedra-  
» libus et collegiatis decretum sub fel. rec. Paulo III, quod in-  
» cipit, capitula cathedralium, observetur, non solum quando  
» episcopus visitaverit, sed et quoties ex officio, vel ad petitionem  
» alicujus contra aliquem ex contentis in dicto decreto procedat :  
» ita tamen ut, quum extra visitationem processerit, infrascripta  
» omnia locum habeant : videlicet, ut capitulum initio cujuslibet  
» anni eligat ex capitulo duos, de quorum consilio et assensu  
» episcopus, vel ejus vicarius, tam in formando processum, quam  
» in ceteris omnibus actibus usque ad finem causæ inclusive, coram  
» notario tamen ipsius episcopi, et in ejus domo, aut consueto  
» tribunali, procedere teneatur. » Sess. XXV, cap. VI, de reform.  
Huic decreto de canonicis adjunctis non est locus, ut scribit Bene-  
dictus XIV de syn. lib. XIII, cap. IX, n. IX, nisi cum agitur de  
capitulo ab Episcopi jurisdictione exempto, et Episcopus contra  
canonicum procedere intendit extra visitationem.

IV. Sess. XXV, cap. VIII de reform. « Quod si hospitalia hæc  
» ad certum peregrinorum, aut infirmorum, aut aliarum persona-  
» rum genus suscipiendum fuerint instituta; nec in loco, ubi sunt  
» dicta hospitalia, similes personæ, aut perpaucae reperiantur;  
» mandat adhuc, ut fructus illorum in alium pium usum, qui  
» eorum institutioni proximior sit, ac pro loco et tempore utilior,  
» convertantur, prout ordinario cum duobus de capitulo, qui rerum

(1) Vid. Dec. S. C. C. 1574, *Neritonen*, dub. 2; 24 Aug. 1619, *Melivitanæ*;  
16 Sept. 1662, *Suessionen*, dub. 7, apud Zamboni tom. 2, *Induigentia*, n. 1, 2 et 3.

» usu peritiores sint, per ipsum diligendis, magis expedire visum  
» fuerit; nisi aliter forte, etiam in hunc eventum, in eorum funda-  
» tione, aut institutione fuerit expressum : quo casu, quod ordina-  
» tum fuit, observari curet episcopus; aut si id non possit, ipse,  
» prout supra, utiliter provideat. »

## CAPUT XV.

DE CAPITULO, QUATENUS ECCLESIE EST SENATUS AC EPISCOPI  
CONSILIUM.§ 1. *Notio generalis.*

« Monumenta ecclesiastica expediti (1) id præcipue colligere  
licet, capitulorum potestatem et eminentiam a primis Ecclesiæ  
sæculis fuisse maximam, nec per plura sæcula defecisse; postea  
vero Ecclesiæ, quæ semper disciplinam pro temporum et circum-  
stantiarum necessitate sapienter attemperat, visum esse coarctan-  
dam, quo facilius Pastoris, id est, Episcopi actio explicaretur.  
Notabilis autem hujusmodi coarctatio tunc evenit, quando ab  
archidiaconis sublata est jurisdictio ordinaria, et ad vicarios gene-  
rales ad nutum revocabiles translata; quod paulatim variis conci-  
liorum decretis inductum est. Præcipue vero sacrosancta Synodus  
Tridentina intra arctiores limites capitula conclusit; et ex illo  
etiam tempore in Summorum Pontificum actis et congregationum  
Romanarum decretis adverti potest permanens eadem Ecclesiæ  
tendentia, ut collegiorum illorum potestatem potius imminuat  
quam dilatet. Cujus moderationis sapientiam experientia et facta  
ipsa satis demonstrant. Capitula scilicet pro institutionum huma-  
narum fragilitate et proclivi ad deterius natura, eo paulatim multis  
in locis devenerant, ut, dum capitis sui, nempe Episcopi, actionem  
juvare et complere tanquam obsequentia et utilia membra debe-  
rent, intricatis eam e contra difficultatibus irretirent. Obscurabatur  
interea apud non pauca hujusmodi collegia vitæ clericalis antiquus  
splendor et primordialis integritas. Dum ergo parum ædificationi  
populorum conferrent, atque ecclesiarum regimini plus obesse quam  
prodesse passim viderentur, non mirum est, Ecclesiam ad salutaris

(1) Ex Bouix de capitulis p. 4, cap. 1.

depressionis remedium devenisse. Quam ægra essent hæc corpora Concilii Tridentini tempore, arguit pertinax oppositio, qua Synodi hujus publicationi præcipue in Gallia obstitere, plus de sublatis ab ista Synodo quibusdam suis prærogativis, quam de generali Ecclesie bono sollicita. Unde forsitan non absque divinæ justitiæ ordinatione evenit, ut ibi multum deprimantur, ubi multum a recto tramite deflexerant. Ergo sicut et aliæ sanctissimæ Ecclesie institutiones, ita et hæc abusibus fuit commaculata, atque correctionis virgam debuit persentire. »

« Id vero notatu maxime dignum est, Ecclesiam quidem pro temporum necessitate capitulorum potestatem et actionem paulatim coarctasse, nunquam vero ipsam institutionem de medio tollendam existimasse. Imo summa cura semper enixa est, ut nulla erigetur aut extaret diocesis absque capitulo. Nec finem capitulorum præcipuum et essentialem cessavit unquam agnoscere, atque sartum tectumque velle. Ita etiam ut in modo hunc finem essentialem exprimendi nihil unquam immutaverit. Consilium Episcopi et senatus Ecclesie olim vocabatur capitulum; eodem senatus Ecclesie titulo Tridentina Synodus ipsum condecorat, dum ejus prærogativas restringit. Hinc existimamus institutionem illam nunquam in Ecclesia cessaturam; tum quia exordiis fulget apostolicis, tum quia ex illa Episcopi cum capitulo in unum corpus adunatione sponte exurgit quoddam in ecclesiarum regimine robur, quædamque sapientia et majestas, quæ vix, deficiente aut remoto stabili illo senatu, reperientur. »

« Hinc etiam autumare forsitan licet, Ecclesiam, quæ jam diu capitulorum potestati coarctandæ atque deprimendæ pro temporum necessitate intenta, ea tamen ubique sollicite voluit conservata, in eorum augmentum atque defensionem, utpote quæ jam ulterius coerceri non expediat, sese conversuram. Quidquid autem eventurum sit, id profecto semper probandum, quod probabit, quodque exequetur ecclesia. »

« Hinc a duabus opinionibus æque recedendum existimamus, quarum patroni nobis non videntur satis integre cum Ecclesia sentire. Prima est eorum, qui restrictam capitulorum priscam potestatem ingemiscunt, atque lamentantur quasi ex hac inducta immutatione Ecclesia a perfectiori in deteriore disciplinam ceciderit. Ecclesia enim, quæ jugi Spiritus Sancti instinctu in attemporando variis temporibus generali suo regimine ducitur, nec defectum nec aberrationem passa orthodoxe dici potest. Sicut

*Christus heri, et hodie, ipse et in sæcula*; ita et sponsa Christi, mater Ecclesia, in dogmate et generalibus disciplinis semper intemerata. »

« Altera opinio, quæ non minus a vero tramite videtur deflectere, eorum est, qui dum hodie cernunt dejecta a prisco potestatis et eminentiæ splendore capitula, jam quasi extincta illa decantant, et hodiernam cathedralium collegiorum institutionem, in aliam ab antiqua diversam desiisse fingunt; ita ut jam in quodam vetulorum hospicio canendis Dei laudibus addicto totam fere capituli rationem consistere dicant. Ecclesia enim, eo etiam tempore quo arctioribus limitibus capitula prudenter circumscipsit, et conservata ea voluit, et nedum de medio tolli, aut in aliud diversæ naturæ institutum transmutari passa sit, principalem et constitutum eorum finem sollicitius et constanter expressit, ea senatum Ecclesie et Episcopi consilium perpetuo commemorans, et in hunc scopum ubique erigi et permanere decernens. Mentem ergo Ecclesie non satis intelligit, qui hodierna capitula nihili facienda reputat. »

§ 2. *Capitulum cathedrale est senatus ecclesie et consilium Episcopi.*

I. Certum est, capitulum cathedrale a primis Ecclesie sæculis et fuisse de facto et vocatum fuisse senatum Ecclesie atque consilium Episcopi (1). Quapropter S. Cyprianus ab ipso sui Episcopatus exordio hanc sibimetipsi legem indixerat, nihil ut aggrediretur rei, quæ suæ ecclesie gubernationem respiceret, sine ejusdem senatus consilio (2).

II. Et profecto ambigi non potest, quin etiam hodie canonici ecclesie cathedralis sint consilarii nati Episcoporum; adeo ut non liceat Episcopo aliquod gravis momenti negotium aggredi, et deliberare, inconsulto capitulo (3).

Probat 1º ex decretalibus Greg. IX, lib. III, tit. X. *De his quæ fiunt a Prælato sine consensu capituli*, ubi Alexander III,

(1) Thomassinus, *vetus et nova Eccl. disciplina* p. 1, lib. III, c. 7; Bouix de capitulis p. 1, sect. 1, c. 2, prop. 1.

(2) Apud Bened. XIV de Syn. lib. XIII, c. I, n. IV; Pallottini, *capitulum*, § III, n. 16-19.

(3) Ita Bened. XIV, loco cit. n. V; Thomassinus loco cit. cap. X, n. VI; Giraldi, *Expositio juris Pontif.* p. 1, sect. 432.

anno 1180, can. IV statuit : *Novit tuæ discretionis prudentia, qualiter tu et fratres tui unum corpus sis, ita quod tu caput et illi membra esse probantur, unde non decet te omissis membris, aliorum consilio in Ecclesiæ tuæ negotiis uti : cum id non sit dubium et honestati tuæ, et sanctorum Patrum institutionibus contraire.*

*Innotuit siquidem auribus nostris, quod tu sine consilio fratrum tuorum canonicorum S. Sepulchri Abbates, et Abbatissas et alias ecclesiasticas personas instituis et destituis : Ideoque id auctoritate Apost. prohibemus : Nos enim tales institutiones et destitutiones carere decernimus robore firmitatis. Et can. V : Quanto Frat. tuæ mandamus, quatenus in concessionibus et confirmationibus et aliis Ecclesiæ tuæ negotiis fratres tuos requiras, et cum eorum consilio, vel sanioris partis, eadem peragas, et pertractes, et quæ statuenda sunt statuas, et errata corrigas, et evellenda dissipas et evellas.*

Probatur 2º ex Concilio Tridentino, in quo 1º sess. 24, cap. XII de reform. capitulum *Ecclesiæ senatus* dicitur : 2º sess. V, cap. 1 de reform. Episcopus de capituli consilio providere debet, ut ipsa Sacræ Scripturæ lectio habeatur, vel saltem magister habeatur ab Episcopo cum consilio capituli eligendus, qui clericos doceat : 3º sess. 24, cap. XII, de reform. Episcopus cum consilio capituli designare ac distribuere debet, quibus canonicatibus quisque ordo ex sacris annexus in posterum esse debeat : 4º sess. 25, cap. X, de reform. si aliquem ex iudicibus synodalibus mori contigerit, ordinarius loci cum consilio capituli alium in ejus locum usque ad futuram synodum substituere debet : 5º sess. 24, cap. XV, de reform. capituli consensus requiritur ad tenues præbendas suppressendas, vel iis beneficia simplicia unienda : 6º item duorum canonicorum consilium et auxilium requiritur in seminarii administratione et aliis casibus, de quibus cap. præc. dictum est.

Probatur 3º ex documentis recentioribus : 1º ex Bulla confirmationis conventionis inter S. S. Pium VII et gubernium Gallicanum 1801, in qua legitur : « Cum vero tum clericorum institutioni, » tum Episcoporum consilio, suæque Ecclesiæ administrationi » consulere necesse sit, illud non omisimus, ut iidem Episcopi » unum habeant in cathedrali Ecclesia capitulum, unumque Semi- » narium. » 2º Ex decreto cardinalis a Latere, quo Bulla novæ circumscriptionis diocesium Galliae publicatur 9 Ap. 1802, in quo Episcopis relinquitur facultas immutandi statuta capitularia, requi-

*sito prius capitulorum respectivorum consilio.* 3º Ex decreto ejusdem cardinalis a Latere, quo Sedes Archiepiscopalis Mechliniæ erigitur 10 Ap. 1802, in quo præscribitur, ut canonici Archiepiscopo, in Pontificalibus peragendis, juxta receptas consuetudines ministrent et inserviant, eundemque in Diocesis, prout in jure constitutum est, adjuvent administratione. Unde cum Joannes Armandus, primus Archiepiscopus Mechliniensis per decretum 21 Julii 1803 capitulum erigit, sic dicit : *Capitulum in Ecclesia nostra Metropolitana erigere decrevimus, cujus finis principalis sit divini cultus splendor, nostrum in administratione vastæ hujus diocesis levamen et consilium, atque in procurandis spiritualibus subsidiis populo nobis commisso zelus indefessus.* 4º Ex Brevi Gregorii XVI 9 Maji 1838 ad canonicos capituli Coloniensis, in quo legitur : *Satagite, ut dum ipsa ecclesia luctu ac mærore conficitur præ desiderio pastoris sui, opportunum in vobis, qui illius senatus estis, capiat consolationem.* 5º Ex concordato SS. D. Pii IX cum Hispania 1851, in quo art. 15 dicuntur *cathedralia capitula Archiepiscoporum et Episcoporum senatum consiliumque constituere.* 6º Ex Bulla erectionis episcopatus Vallis Guidonis in Gallia ejusque capituli cathedralis 1855, in qua statuitur, *hujusmodi capitulum ita a Nobis constitutum teneatur, nedum divina officia sicuti in cæteris cathedralibus rite seduloque peragere, verum etiam in gravioribus diocesis negotiis vel discutiendis vel impensius peragendis tum consilio tum opera præsto esse suo episcopo, quatenus ipse oportere censuerit.* Similia in documentis recentibus frequenter occurrunt. Unde quod capitula et canonici olim fuerunt, ita etiam capitula nunc sunt senatus ecclesiæ, et canonici consilarii nati Episcoporum.

### § 3. Necessitas adhibendi consilium et quale consilium.

I. Consilium communiter et generaliter esse adhibendum, probatur 1º ex Scriptura sacra : *Eccli XXXII. 24 Fili sine consilio nihil facias, et post factum non poenitebit.* Prov. XIX, 20. *Audi consilium, et suscipe disciplinam, ut sis sapiens in novissimis tuis.* Unde Prov. XII. 15. *Qui sapiens est, audit consilia.* XIII, 10. *Qui agunt omnia cum consilio, reguntur sapientia,* XI, 14 et XXIV, 6. *Salus ubi multa consilia.* Et contra Deut. XXXII,

28 et 29. *Gens absque consilio est et sine prudentia. Utinam saperent, et intelligerent, ac novissima providerent.*

Probatur 2º ex sensu communi : Papa habet cardinalium consilium, quo sæpius utitur; Imperatores, Reges et Principes suum habent consilium, sine quo nihil agere solent; gubernatores provinciarum, ac magistratus civitatum, oppidorum et etiam pagorum consilium habent, quo in administratione sua uti debent.

Unde provida mater Ecclesia capitulum in ecclesia cathedrali instituit, quod et officium divinum prout oportet, in ea celebraret, et simul ejusdem ecclesiae senatus ac Episcopi foret consilium. Si enim Summus Pontifex in Ecclesiae regimine consilio utatur; si imperatores alique præfati eo utantur pro directione rerum temporalium; quanto magis oportet, ut eo utatur Episcopus, qui sæpe quæstiones dubias dissolvendas, gravesque difficultates cavendas habet. Quanta præditus fuerit scientia, capacitate aliisque qualitatibus, manet tamen homo, qui erroribus exponitur, qui non omnia considerat, et sicut experientia docet, ab inferioribus etiam instrui potest.

II. Consilium, quod adhibendum est, in quantum potest, independens esse debet, ne timor, respectus humanus aliave consideratio ullum habeant influxum in consilium dandum. Qualescumque enim consilarii fuerint, omni etiam exceptione majores, semper tamen etiam manent homines, infirmitatibus obnoxii ac passionibus expositi.

Ut consilium sit independens, consilarii vel sunt perpetui, si ab ipso superiori, cui sunt a consiliis, nominantur, quales sunt Cardinales respectu Papæ, et canonici respectu Episcopi; vel si non sint perpetui, communiter non nominantur ab ipso superiori, cujus consilium efficiunt, sed ab aliis, quales in pluribus regionibus sunt consilarii status et magistratus.

Tale non foret consilium, cujus membra sive ex capitulo sive extra illud ab Episcopo pro libito nominarentur : isti enim consilarii omnino forent dependentes, et eatenus magis apti ad gratum quam ad verum et opportunum consilium dandum.

§ 4. *Quid est consilium aut consensum capituli petere, et quæ utriusque differentia.*

Ad consilium aut consensum petendum, non sufficit, singulatim a singulis petere canonicis, quid censeant, sed requiritur ut petatur

tur a capitulo capitulariter congregato. Hoc fieri potest Episcopo præsentem vel absentem, prout Concilium Tridentinum sess. XXV de reform. cap. VI statuit his verbis : " Qui si aliquid canonicis ad deliberandum proponant, nec de re ad suum, vel suorum commodum spectante agatur : episcopi ipsi capitulum convocent, vota exquirant, et juxta ea concludant. Absente vero Episcopo, omnino hoc ab iis de capitulo, ad quos hoc de jure, vel consuetudine spectat, perficiatur. "

Latam intercedit discrimen inter consilium et consensum. Ubi jura capituli consensum exposcunt, Episcopus facere cogitur illud, quod major pars canonicorum faciendum concluderit : alioquin nulliter agat (1). Ubi vero tantum exigunt capituli consilium, sola consultatio cum capitularibus capitulariter congregatis facta sufficit, quin Episcopus ulla adigatur lege, ad eorundem amplectendam sententiam, etiamsi irritus foret actus, si tale consilium seu consultationem non adhibuisset (2). Quod si capitulum consilium dare noluerit, acta Episcopi valent, si contra illa nihil aliud rationabile apponatur (3).

Nec tamen inutile reputandum est canonicorum consilium : etsi enim Episcopus illud sequi non teneatur; consulentium tamen rationibus instruitur, atque edocetur, ne inconsiderate et præcipitanter agat; cogitur melius deliberare negotium, illudque maturius resolvere; atque capituli consilio instructus ac motus aliquid faciet, quod per se non fecisset. Quapropter ipse Romanus Pontifex ardua negotia sine Cardinalium consilio decernere non solet, quamquam sciat, supremæ suæ potestatis exercitium ab eorundem assensu nequaquam pendere (4).

§ 5. *Quomodo petendum et dandum est consilium vel consensus.*

Episcopus ad petendum consilium vel exquirendum consensum capituli duplici modo uti potest : vel ipse potest capitulum convo-

(1) Vid. infra § 7 in fine.

(2) Bened. XIV de Syn. lib. XIII, cap. 1, n. VI; Reiffenstuel lib. III Decretal. tit. X, n. 1, 2, 3 et 11; Andreucci de tuenda pace n. 191.

(3) Abbas in cap. Novit n. 5; Ferhinc lib. III, Decretal. tit. X, n. 18 not. 2º; Leurenus *Forum ecclesiasticum* lib. III, tit. 10, quæst. 106.

(4) Bened. 14 de Syn. ibid. Reiffenstuel ibid. n. 3.